

29. 22.

Zur
öffentlichen Prüfung der Schüler
des hiesigen
Gymnasiums zu St. Maria Magdalena,

welche zum Beschluss des Schuljahres

am 9. und 10. April

im grossen Hörsaale veranstaltet werden soll,

sowie

zu der Redeübung am 11. April

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Carl Schönborn,

Director, Rector und erster Professor, Ritter des rothen Adlerordens dritter Classe
mit der Schleife.

-
- 1) De Arellio Fusco commentatio. Scripsit F. G. Lindner, phil. Dr.
 - 2) Schul-Nachrichten, verfasst vom Director.



Breslau, 1862.

Druck von Grass, Barth u. Comp. (W. Friedrich).

9br
27 (1862)



DE

ARELLIO FVSCO

COMMENTATIO

SCRIPSIT F. G. LINDNER, PHIL. DR.

DE

ARFELLIO FVSCCO

COMMENTATIO

AVCTORE F. G. LINDBER, MDCCCLXXII

Munus commentationis scribendae ut ita dicam litterariae, qualis praeponi solet scholarum doctarum annalibus, cum ex ordine hoc anno mihi esset suscipiendum, redire placuit ad studia tractata iam plures per annos, quanta fieri potuit in otio, quantuluncumque erat, diligentia. Atque cum proposuerim mihi, si fieri possit, historiam scribere declamatorum Romanorum, qui uigebant Augusti aetate, quoniam quae uiri docti de iis explicauerunt non sunt nisi in uniuersum exposita, ut singulorum rhetorum imago inde uix possit intellegi, aptissime mihi uidebar agere, si primum monographias quae dicuntur scriberem de iis, qui inter ceteros summa praestabant fama et auctoritate, in quibus haberem totius operis tamquam fundamenta. Quo modo postquam adumbrare studui data occasione M. Porcii Latronis, L. Cestii Pii, G. Albucii Sili imagines, commentationibus illis iam de Arellio Fusco adiciam quaestiunculam. In illis uero conscribendis cum iam quererem fontium nimiam inopiam, in hac studii adminiculis uti mihi licebat etiam paucioribus: qui enim de Latrone, Cestio, Albucio disserentem iuuerunt Suetonius, Quintilianus, Hieronymus, in hoc auctore me plane destituerunt, ut unicus restaret fons Annaeus Seneca. Attamen quae hic suppeditauit satis multa erant et ubera, ut operae pretium putarem Arellii uitam et artem accuratius indagare. Inde quae eruimus ita speramus suffectura esse exhibendae eius uirtuti, ut uel erroris conuincant Suetonium de clar. rhet. I extr. profitentem: „Illustres professores et quorum memoria aliqua extat non temere alii reperientur, quam de quibus tradam.“

I.

Nomen rhetoris, de quo disputatio proposita est, legitur apud Annaeum Senecam uel Arellius Fuscus, uel inuerso ordine Fuscus Arellius, uel solo cognomine Fuscus: praenomen ubique omittitur. Quae enim Quintum exhibet ueterum editionum, in quibus Schottiana est et Bipontina, lectio contr. I. 7. 15: „Silo Pompeius et ipse iram fassus est. aiebat enim non habiturum fidem, si se negasset iratum fuisse: sed irae causam non dixit. Q. Fuscus transeundas aiebat eas offensas quibus ille gloriaretur,“ ea caret optimorum codicum Antuerpensis et Bruxellensis auctoritate. Illi non scribunt „Q“ sed „quem“: unde cum Burianus contextum ita restituerit: „sed irae causam non dixit quam Fuscus“, coniectura uideatur usus esse haud improbabili, quandoquidem quam Arellius posuit paulo post subsequitur causa. Actum igitur est de Quinti praenomine, quantum quidem e Seneca petendum potest uideri. Qui autem Porcii Latronis, Cestii Pii, Albucii Sili praenomina nobis suppeditauit Suetonius, huius in libro de claris rhetoribus c. VI, illorum, quamquam ipsi exciderunt, in catalogo certe deperditorum rhetorum, qui traditur in aliquot libris manuscriptis (cf. ed. Wolfian. p. 29), Arellium Fuscum non descripsit.

Grauior sequitur quaestio multoque spinosior. Addita undequadrageinta fere Senecae locis Arellio Fusco patris extat significatio atque ita quidem, ut septem locis exceptis suis litteris exscripta sit uox. Vbi compendio locus est in manuscriptis, quater inuenitur p cf. suas. VI. 5, VII. 8, contr. VII. 16. 7, X. 34. 7; bis p̄ cf. suas. II. 1, contr. X. 35 p. 336; semel P. contr. X. 33. 6. Quamobrem duos disiunxit Arellios Andreas Schottus in libro suo de claris apud Senecam rhetoribus, qui additus est Senecae editioni Parisinae a. 1607 et 1613, nixusque Quinti lectione contr. I. 7. 15 Arellio Fusco patri Quinti praenomen additum eumque patrem appellatum esse, quo a filio secerneretur, contendit. Neque non assensi sunt recentiores scriptores, in quibus Westermannus est in historia eloquentiae Romanae § 86 not. 9 seq. et qui in Paulyi encyclopaedia de Arellio Fusco conscripsit libri particulam. Equidem uero in hac sententia neque potui neque uolui acquiescere. Mirum enim uidebatur quod de Arellio Fusco patre nusquam iudicium fit, nusquam ne minima quidem res commemo-

ratur: immo ubicunque eius nomen obuenerit, solae sententiae eius proferuntur: contra ea de altero, qui nullo auctus additamento filius habetur, late et effuse fluit Senecae narratio. Comparauimus igitur ceteros de quibus Annaeus agit rhetores eadem significatione insignitos, Clodium Turrinum patrem et Othonem Iunium patrem: nam qui praeterea in ueterioribus editionibus reperitur Cestius pater contr. II. 14. 6, eum Bursiani coniectura merito remotum esse demonstrare studuimus in dissertatione de L. Cestio Pio, quae annalibus praemissa est paedagogii Zuellichauensis a. 1858 p. 4.

Iam uero Clodius Turrinus omisso cognomento profertur nouus, pater cognominatur sexies atque ita quidem, ut tribus locis contr. X. 30 p. 300, X. 32. 2, X. 33. 6 compendium P extet adhibitum. Diuersi igitur etiam hic uidentur significari pater et filius cf. Westermann l. l. § 86 not. 25. Filium autem re uera habuit Turrinus, qui et ipse eloquentiae studebat, adulescentem fraterno coniunctum amore Senecae filiis ex eiusque opinione summae eloquentiae futurum, nisi mallet exercere quantum habebat, quam consequi quantum poterat cf. contr. X. praef. 15 et 16. At uide, ne praepropere inde facias iudicium! Librum enim conscripsit Seneca filiis, ut possent aestimare in quantum cotidie ingenia decrescerent et eloquentia se retro tulisset, ipsi autem exempla haberent facundiae egregiae Graecaeque haud inferioris, ad quae suam colerent et conformarent orationem cf. contr. I. praef. 6. Quod ut efficeret, susceperat redire in antiqua studia et colligere, si qua memoriae nondum essent elapsa a suae aetatis rhetoribus dicta, quamuis ea, res ex omnibus animi partibus maxime delicata et fragilis, aetate iam esset quassata longaque desidia dissoluta cf. ibidem 2 et 3. Quid igitur? In hanc ueteris et ut ita dicam uetustae eloquentiae suppellectilem num putabimus Annaeum recepisse uirorum sententias, qui erant filiorum aequales? Has ipse reicit, cum quae traditurus sit suis finibus coercet contr. I. praef. 4: „Ita ex memoria quantum uobis satis sit superest; neque enim de his me interrogatis, quos ipsi audistis, sed de his, qui ad uos usque non peruenerunt.“ Aequales quae dixerant certe filiis multo erant notiora, quam patri senectute iam contrito, qui cum librum scriberet, iam dudum desierat perambulare scholas. De filii igitur Turrini sententiis cum non sit cogitandum ubi Seneca patris significationem omisit, quid restat quam ut ubique eundem uirum intellegamus, quem ut adulescentulo filiorum amico suum opponat, hic patrem cognominet, illic solo nomine protulisse satis habeat?

Neque aliter res se habere uidetur in Iunio Othone, quem quidem contr. II. 9 pag. 129 et 130, ubi de eodem semper uiro agitur, nunc addito, nunc omisso cognomine facit loquentem. Sed si quis forte his locis minus tribuerit, quandoquidem in fronte prolato Othone patre omissum cognomentum eundem uirum hic significatum non probet, qui alibi solo nomine proferatur, ubi in prioribus de patre non sit actum, refugimus ad huius generis locum exc. contr. IV. 8. 4, ubi Varius Geminus componitur cum Othone Iunio, ut qui eodem tempore eandem declamauerint controuersiam simili modo. Varius autem Geminus cum

aequalis fuerit Cassii Seueri, quippe qui de eo iudicium faciat suas. VI. 11, aequalis porro Cestii et Latronis (cf. *contr.* VII. 23. 10), qui eadem fere erant qua Seneca aetate (cf. de Latrone *diss. inaugural.* Vratislaviae 1855 p. 7, de Cestio *comment.* p. 5), num forte errare uidebimur opinione, hunc Iunium Othonem eundem esse contententes atque Iunium Othonem patrem, quem Seneca meminit colorem stultum inducere *contr.* I. 3. 11? Reiciendum igitur etiam hic uidetur discrimen, quod Westermannum secutus l. l. § 86 not. 25 aliquis facere potuerit inter Othonem patrem et filium quendam.

Quae cum ita sint, etiam Arellium Fuscum neque filium neque omnino alium esse censemus quam Arellium Fuscum patrem. Eiusdem uiri sunt quaecunque proferuntur a Seneca Arellii nomine sententiae, diuisiones, colores. Attamen a uero propius abesse uidetur huic quoque filium fuisse, qui, ut omnes fere illius aetatis adulescentes, artis studiosus rhetoricae scholasticae adhuc uacaret eloquentiae, cum Seneca librum suum componeret, eoque ut Clodii Turrini filio familiariter usos esse Annaei filios, unde patris fluxerit significatio. Neque euertere possunt aut labefactare sententiam nostram loci, quales reperiuntur p. 139 et 140, ubi in eadem disputationis parte Arellii patris mentionem intermisso uno tantum alio rhetore statim subsequitur Arellii quaedam sententia uel actio quasi alterius. Hoc enim ut impetret, in *controversiarum* libri primi praefatione § 4 a filiis petit, ne se quasi certum aliquem ordinem uelint sequi in contrahendis quae sibi sint occurrentia: necesse enim esse per omnia sua erret studia et passim quidquid obuenerit apprehendat. Ad delicias igitur memoriae componens res maxime cohaerentes saepe discerpsit, diuersas coniunxit, saepissimeque quae quis una in declamatione et una in declamationis parte dixerat pluribus locis posuit.

Quo tempore natus sit Arellius Fuscus quoniam non traditum est, ad coniecturam confugientibus calculo quodam uti licet ueri haud dissimili. Aequalis enim erat cum Varii Gemini et P. Vinicii, qui eodem quo Cassius Seuerus tempore florebant (cf. *Sen. ep.* 40. 9), tum Blandi equitis, in cuius scholam ex Arelliana institutione transiit Papius Fabianus philosophus (cf. *contr.* II. praef. 5), Porcii denique Latronis, Cestii Pii, Passieni, a quibus improbantur eius sententia uel colores *contr.* II. 11. 11 et 22, VII. 17. 12. Quorum uirorum annus natalis cum sit fere annus septingentesimus p. u. c., ut Arellium aetate aliquanto maiorem ponamus mouemur Senecae loco suas. II. 10, quo se iuene nihil tam notum fuisse narrat quam Fuscinae explicationes, „quas nemo nostrum non alius alia uocis inclinatione uelut sua quisque modulatione cantabat.“ Fuit igitur Arellius notus iam declamator Seneca iuene. Inde etsi non necesse est sequatur, ut natu multo maior fuerit, si quidem Seneca extincto demum bellorum ciuiliu furore Romam peruenit (cf. *contr.* I. praef. 11), Latro autem scholam iam aperuerat iuuenilem aetatem nondum transgressus (cf. *diss. de Latrone* p. 13), Alfio Flauo similis, qui iam cum praetextatus esset tantae opinionis fuit, ut populo Romano puer eloquentia notus esset (cf. *contr.* I. 1. 22), minorem tamen uix quisquam eum existimauerit. Quam ob rem si Senecam ortum esse non post annum 696 uel 697 p. u. c., 57 uel 58 a.

Ch. recte contendimus in dissertatione de Latrone p. 6, Arellium quoque natum certe ante annum septingentesimum urbis non sine veri aliqua specie statuemus. — Qui calculus comprobatur etiam eo quod inter eius auditores P. Ovidius fuit cf. *contr.* II. 10. 9. Is cum declamaret, bonus habebatur declamator, sed non longum per tempus declamatoriis studiis occupatus taedio captus curiae (cf. *trist.* IV. 10. 30) unde viginti annorum adolescens ad poesin transfugit. Inde ut Ovidius efficitur sedecim fere annorum iuuenis, cum apud Arellium exerceretur anno 727 p. u. c., ita magister, etiamsi cogitamus uel adolescentem, a tricesimo aetatis anno certe non multum abfuisse potest.

Quousque vitam perduxerit Arellius non magis quam unde inceperit constat: unum liquet post annum u. 737, a. Ch. 17. eum mortuum esse. Controversiam enim duodecimam de nepote e meretrice suscepto a Latrone declamatam Seneca ait Augusto audiente et Agrippa, cuius filios, nepotes suos, Lucium et Gaium Caesar adoptaturus diebus illis uidebatur cf. *contr.* II. 12. 12. Quae adoptatio cum facta sit anno 737 p. u. c., quoniam eandem controversiam tum declamabant et Arellius et discipulus eius Fabianus Papirius, ea aliquantulo quidem computandae Arellianae uitae utimur adminiculo.

De Arellii Fusci origine prorsus nihil comperimus, nisi quod Seneca ait *contr.* IX. 29. 16 eum fuisse ex Asia. Arelliorum autem gens Romana ut in iis, quae reipublicae temporibus gloriam sibi et nomen illustre pepererant, non uidetur fuisse, cum de nullo eius gentili memoria extet praecipua, ita tamen non prorsus ignotam eam fuisse testatur fortasse colonus quidam auarus ab Horatio in satiris II. 6. 78 sub Arellii persona inductus, quem credo non proposuisset, nisi nomen fuisset Romae peruulgatum. Innotuisse uero uidetur illa imperatorum aetate. Plures enim ab historiae Augustae scriptoribus commemorantur consulari ornati auctoritate et munere, in quibus est Arellius Fuscus consularis sub Commodo interemtus teste Lampridio, et alter Asiae sub Aurelio proconsul a Vopisco collaudatus in Aureliano. Alium Plinius in historia naturali praeter Arellium quendam pictorem, qui paulo ante Augustum impudice deas pinxerat amicis haud ita honestis simillimas (cf. XXXV. 10. 119), commemorat Arellium Fuscum XXXIII. 12. 152, quem ipse uidit „motum equestri ordine ob insignem calumniam, cum celebritatem adsectarentur adolescentium scholae, argenteos annulos habentem.“ Atque hunc Schottus in libro de claris apud Senecam rhetoribus rhetorem, quem ut filium Quinto patri opponit, fuisse conicit. Sed priusquam de hac sententia iudicium faciamus, primum de Plinii loco agendum est, cui ut obscuriori lucis aliquantum afferre uidetur Gronouii ad eum adnotatio. „Significari censet ille a Plinio equestri ordine motum Arellium praetextu haud dubie rei notandae seu uerae seu fictae, sed intimam propriamque ob causam haud aliam, quam ut refrigeraretur uanitas hominis per publicum trahentis inuidiosam et iam imperantibus suspectam turbam scholasticorum et sectatorum nobilium et promptorum iuuenum eloquentiam aemulantium. Atque cum caruisset ordine iusque annulorum perdidisset, ut tamen distaret a uulgo et inuidiam faceret iuratori a quo erat notatus, argen-

teos eum annulos induisse. Satis tamen esse credibile hanc censoriam aut magistri morum animaduersionem multos ei comites in reliquum detraxisse. "Qua in re rectum uidisse Gronouium arbitror; quamquam enim cum prouenirent studia declamatoria, rhetoris munus inhonestum existimabatur ingenuoque Romano indignum (cf. Sen. contr. II. praef. 5), tamen iam Blandus eques hanc infamiam non curauit imperatoresque ea studia adeo fouebant et adiuuabant, ut teste Suetonio hoc tempore magisterium ut indecorum esset tantum abesset, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores procederent cf. de clar. rhet. I. Necessse igitur est insolentius aliquid egerit Arellius ille Fuscus: propter scholae quam habuit celebritatem uix motus est ordine equestri. Animum autem eius fuisse qui euagari adamaret et speciem appeteret insoliti nonne indicio est, quod annulis utebatur argenteis aureorum iure adempto? Sed haec obiter tantum uolumus attingere: nostrum non est nisi refutare Schottum hanc Plinii notitiam ad Arellium Fuscum a Seneca laudatum referentem. Qui quoniam unus est pater, qui, cum Plinius natus sit anno 23 p. Ch., ad eius aetatem uix uitam perduxit, ut taceam uixisse eum, dum Plinius ita aetate esset prouectus, ut narrare posset quod ipse uiderat, Schottum errare apparet. Neque si filius erat Arellio Senecae filiorum aequalis, quem, quamquam Annaeus de eo nihil refert, fuisse tamen nos quoque supra coniecimus, ne in hunc quidem Plinii quadrare enarratum persuasum habemus. Nam ne littera quidem Seneca indicat Arellium Fuscum ex ordine equestri fuisse, immo Asiana eius origo multo obscuriorem eius stirpem ostendit. Simili fortasse utebatur qua Musa rhetor manumissus (cf. contr. X. praef. 10) uel Cestius et ipse Asianus liberti conditione, de qua plura adnotauimus in diss. de Latrone p. 4, de Cestio p. 4.

Non minus obscura quam Arellii origo cetera sunt, quae ad uitam eius pertinent. Quin etiam ubi studia fecerit rhetorica et ad magisterium se praeparauerit notitiam nostram fugit: praeceptorem enim eius Seneca bis quidem commemorat nec nominat cf. contr. I. 7. 14 et I. 8. 15. Vtroque loco autem cum studium eius narretur recipiendi in declamationes uersus Homericos, cumque frequentius Arellius ipse diceret graecas quam latinas suasorias (cf. suas IV. 5), ipse porro saepe Homerum citaret (cf. contr. I. 7. 14) et graecas sententias tum rhetorum tum scriptorum nunc referret, nunc in latinum sermonem transferret (cf. contr. IX. 24. 13, 29. 16), in Asia graecos aduise eum praeceptores eo magis contendimus, quod Seneca transcriptiones illas graecarum sententiarum non casu factas dicat, sed cum esset ex Asia ad uerbum contr. IX. 29. 16. Artem igitur a Graecis edoctus Romae exercuit. Quo tempore autem ex Asia eo migrauerit scholamque aperuerit latescit. Neque uero fautoribus uidetur caruisse, Maecenatis certe gratiam et beneuolentiam indicare uidetur Seneca suas. III. 5. Quid enim quaeso significant uerba: „Solebat autem Fuscus ex Vergilio multa trahere, ut Maecenati imputaret?“ Imputandi enim uerbum significat quod nos dicimus „in Rechnung bringen,“ i. e. perficere rem qua alicui ita prosumus, ut pari commodo referri operam nostram ab illo aequum sit, uel ut ipsi gratias rettulisse ei uideamur pro beneficio

prius ab eo accepto. Quo sensu usus est uerbo Arellius ap. Sen. contr. II. 14. 2 „hoc nouissimum meum meritum est, sed quod tibi proxime imputo: pro te etiam luxuriosus factus sum.“ Iam cum Seneca l. l. pergat de Arellio: „totiens enim pro beneficio narrabat in aliqua se Vergiliana descriptione placuisse;“ num falso interpretabimur locum explicantes rhetorem, cum interdum beneficia accepisset a Maecenate, gratias rettulisse fautori eo quod in declamationibus Vergilium non solum imitaretur, sed uerba potius eius ipsa circumscriberet? Fauebat enim Maecenas ut omnino poetis, ita ante omnes Vergilio eiusque carminibus maxime oblectabatur. Itaque qui blandiri ei lenocinarique studeret, si dictis Vergilianis aures titillabat, non assequendi propositum periculum non adibat. Attamen qualia quantaue beneficia in Arellium Maecenas contulerit nescimus.

Scholam Arellii multi uidentur frequentasse auditores, quorum tres Seneca commemorat. Ac primi quidem nomen silentio praeterit pudori eius parcens, ut ait suas. IV. 5, siue uir erat haud ignoti nominis, cuius quod non bene cesserunt studia declamatoria noluit obtrektare famae, siue omnino peius etiam dixit, quam ut commemoratione aliqua dignus uideretur. Alter est P. Ouidius Naso, poeta illustrissimus, qui ad uicesimum usque annum studiis rhetoricis se dedit, priusquam ad poesin transfugeret cf. contr. II. 10. 8. Qui cum in studiis aliquantum iam profecisset, fuisse uidetur in iis, qui ceteris multo praestarent. Habebat enim comptum et decens et amabile ingenium, sed quod iam proderet poetam futurum, conspicuum illum etiam in oratione, quippe quae iam tum nihil aliud posset uideri quam solum carmen, cf. l. l. 8 et 9. Qua de re etiam molesta ei erat omnis argumentatio: declamabat raro controuersias et non nisi ethicas: libentius dicebat suasorias. Ad quas cum eum duceret indoles ut ita dicam poetica, animi impetum certe auxit Arellius et ipse suasoriarum amator cf. suas. IV. 5. Discurrebat porro saepe sine ordine per locos, seueras diuisionis leges non curans, uerbis autem minime licenter utebatur. Diuersa erant hac re quae postea composuit carmina, in quibus non ignorauit sua uitia, sed adamauit: decentiorem enim aiebat faciem esse, in qua aliquis naeuus inesset cf. contr. II. 10. 12, exc. contr. II. 2 p. 351. Ceterum praeter Arellium admirator erat Ouidius Porcii Latronis, quem adeo studiose audiuit, ut multas illius sententias in uersus suos transferret cf. l. l. 8, de Latrone diss. p. 13. Qui cum non tam praeceptor esset eloquentiae quam ostentator, qui non exerceret discipulos disputando et declamando, sed audiendo quae ipse solus declamaret (cf. de Latrone diss. p. 13), aetate aliquantum prouectus utroque praeceptore eodem tempore usus esse uidetur Ouidius ita, ut, cum audiret Latronem, ante Arellium declamaret, donec relictis auditoriis in poetarum castra se conferret.

Tertius denique qui a Seneca commemoratur Arellii discipulus Papirius Fabianus philosophus est. Qui quibus parentibus fuerit, quae familia ortus in coniectura uersatur, neque annus natalis nisi coniecturali computatione potest quodammodo constitui, quoniam Seneca eum tanto minorem natu dicit, quam ipse erat contr. II. praef. 5. Studebat autem arti rheto-

rica in Arellii schola adulescens iam admodum tantae opinionis in declamando, quanta po-
 stea in disputando fuit. Inde ad Blandum rhetorem, qui eques Romanus Romae docuit,
 transiit, apud quem diutius etiam uersabatur quam apud Arellium. Sed auditoria rhetorum
 eum non tenebant, utque Ouidius ad poetas, sic Fabianus ad philosophos transfugit et qui-
 dem auditor factus et assecla Sextii cf. l. l. 4. Nihilominus tamen rhetoricis exercitationi-
 bus non abstinuit: immo declamabat usque et tam diligenter, ut putares illum illi studio
 parari, non per illud alteri praeparari. Studebat enim eloquentiae non eloquentiae causa,
 sed quod recte intellegebat eam omnis doctrinae quasi fundamentum esse. Accuratius de eo
 quaesiuit Arminius Hoefig in diss. inaug. Vratislaviae 1852, sed magis philosophiam eius re-
 spiciens: nostrum cum sit de declamandi eius agere ratione, in hac quaestione duce utimur
 unico Seneca, qui multus est de ea in contr. libri II praefatione. Is quae rettulit iam appo-
 ninus. „In declamando imitabatur Papirius Arellianum genus dicendi eique ita assueerat,
 ut plus deinde laboris impenderet, ut similitudinem eius effugeret, quam impenderat, ut ex-
 primeret. Splendidam quidem orationem et lasciuam a praeceptore receptam cito cum uoluit
 abiecit, obscuritatem autem non potuit euadere: haec illum usque in philosophiam prosecuta
 est. Saepe minus quam audienti satis erat eloquebatur, saepe quae dicebat tam subito de-
 sinebant, ut non breuia essent, sed abrupta. Ponebat autem Fabianus fere dulces senten-
 tias, et quotiens incidebat aliqua materia quae conuitium saeculi reciperet, inspirabat magno
 magis quam acri animo. Deerat illi oratorium robur et ille pugnatorius mucro: splendor
 uero uelut uoluntarius non elaboratae orationi aderat. Vultus dicentis lenis et pro tranquil-
 litate morum remissus; uocis nulla contentio, nulla corporis asseueratio, cum uerba uelut in-
 iussa fluerent. Iam uidelicet compositus et pacatus animus, cum ueros compressisset affectus
 et iram doloremque procul expulisset, parum bene imitari poterat quae effugerat. Suasorii
 aptior erat; locorum habitus, fluminumque decursus et urbium situs moresque populorum
 nemo descripsit abundantius. Nunquam inopia uerbi substitit, sed uelocissimo ac facillimo
 cursu omnes res beata circumfluebat oratio.“ Profecto quem talem adumbrat Seneca, is
 non parua debet efferri laude. Quae uero dicta ab eo tenebat Annaeus memoria, ea in
 altero maxime controuersiarum libro composuit.

II.

Magnum inter aequales rhetores tenuisse Arellium locum testimonio est, quod a Seneca receptus est in tetradeum, quod primum facit sui temporis contr. X praef. p. 295: „Latronis, Fusci, Albuçii, Gallionis.“ Quo loco quae extat in codice Bruxellensi „fusci certi“ lectio cum ita uarietur in codicibus, ut Antuerpensis cessi proponat, Montepessulanus ca esti, Bursianus, quamuis ipse eiecerit uocem certi in contextu, in nota loco adscripta dubitari posse censet, utrum Fusci an Cestii an Albuçii nomen sit eiciendum. Mihi quidem, si recte mouit uir doctus hanc dubitationem, ante omnia constare uidetur de Cestio Senecam non cogitasse, quem ipse describit „hominem nastutissimum, sed nullius ingenii“ suas. VII. 12 et 13, neque uero locum exsecando sanauerim, sed immutando. Quid enim propius ad optimi codicis lectionem accedit, quam addi Fusci nomini cognomen Arellii? Insolitum quidem locique concentum et numerum turbare uidetur cognomen uni uiro additum, sed inaequalitatem praefero audaciori etiam in qua acq̄ieuit Bursianus medelae. Tantum autem honorem merito Fusco tributum esse fortasse aequalium comprobatur ceterorum iudicium, quibus Seneca iuvene nihil fuit tam notum quam suasoriarum explicationes Fuscinae, quas nemo eorum non alia inclinatione uocis uelut sua quisque modulatione cantauit cf. suas. II. 10. Neque minoris momenti esse uidetur fauor quo utebatur Maecenatis, uiri politissimi artiumque liberalium non solum amatoris, sed digni peritique censoris, quem Vergilii, Horatii multorumque non ignoti nominis poetarum patronum et amicum praedicare par est. Huc accedit denique filiorum impetus, qui uel molesti esse solebant Senecae de Arellio cf. suas. IV. 5. Quorum desiderio si ita satisfacit, ut in omnibus praesertim quas rettulit suasoriis ad Fuscinas explicationes tamquam ad totius enarrationis summam et caput semper eos delegaret (cf. suas. II. 23 extr., III. 7), num quaeso hoc fecisset, nisi Arellii declamatio dignissima fuisset, quam ut exemplum dicendi filiis proponeret?

Erat Arellius in iis, qui suo nomine rhetores appellabantur i. e. qui docebant artem, non qui ostendebant solum uelut Latro, qui nunquam audiebat discipulos cf. diss. p. 13, Quint.

X. 1. 15. Inducitur enim pluribus locis a Seneca discipulos suos vituperans uelut suas. IV. 5, ubi auditorem illum, cuius pudori parcat Annaeus, inepte uersum aliquem ponentem Vergilianum haud ita comiter increpat: „si hoc dixisses audiente Alexandro, scisses apud Vergilium et illum uersum esse:

capulo tenus abdidit ensem “cf. aen. II. 553.

Neque non probare uidetur sententiam nostram alius locus contr. VII. 20. 7, quo praecceptum profertur Arellii de epilogo. „Debet, inquit, reus in epilogo desinere. Optime autem epilogram defensionem contexit; et homines magis defendenti quam accusanti fauent. Ultima sit pars, quae iudicem fauentem possit admittere.“ Quo loco admittendi uocem ex coniectura posui, quoniam quae codicum et Bursiani lectio est „amittere“ sensui non uidetur apta.

Ceterum in schola consenuit solo magisterio contentus, oratoris forensis famam non appetebat. In publicum enim prodisse eum uel accusaturum uel defensurum reum in iudicio nusquam reperitur uestigium. Et prudenter quidem hoc egit: effugiebat enim hoc modo calamitates uel etiam infamiam multorum aequalium, qui utriusque cupidi gloriae ludibrio fierent sanis hominibus. Namque diuersae sunt scholastica et forensis elocutio ita, ut uel Porcio Latroni et Albucio Silo pessime cederent affectatae contrariae partes cf. de Latrone diss. p. 43, de Albucio Silo comment. p. 8 et 9, de Cestio Pio p. 15. Arellius autem tantum aberat a foro, ut non solum nunquam prodiret in tribunal, sed etiam caueret, ne in schola imitaretur quod non nouit forum, quo uitio, quamquam nihil eo indecentius arbitratur Seneca contr. X. praef. 12, haud pauci rhetores laborabant, utrumque miscentes orationis genus.

In declamationibus, quas habuit uel in schola discipulis tamquam exempla proponens, quomodo ipsi deberent declamare, uel in certaminibus, quae ex aetatis more iniiit cum aliis eiusdem artis amatoribus et consortibus (cf. Westermann l. l. II. p. 268), et graeca utebatur lingua et latina. Quod minus in eo mirum uidetur, cum esset ex Asia, ubi uix quisquam alio quam graeco sermone loquebatur. Quin etiam suasorias frequentius graecas eum dixisse quam latinas Seneca testis extat suas. IV. 5. Sed ut ille, quoniam filiis latinae praesertim eloquentiae tradere uolebat specimina, graecas sententias raro inseruit, ita nos quoque, qui et ipsi sectamur latinos rhetores, eas relinquimus intactas. Verbo tantum attingere placet Arellium etiam in latinis declamationibus permultas transtulisse Graecorum sententias, ut ipse ait, non commendationis aut furti, sed exercitationis causa. Dare enim se operam, ut cum optimis sententiis certet, neque illas corrumpere conari sed uincere cf. contr. IX. 24. 13. Transtulit igitur l. l. Addaei sententiam, contr. IX. 29. 16 Hybreae; Homeri uersus citat contr. I. 7. 14, I. 8. 15.

Attamen cum ex Asia oriundus esset Arellius et a Graecis, id quod supra demonstrare studuimus, praeceptoribus artem edoctus rhetoricam, fieri non potuit quin tota eius dictio imbueretur ea, quae tum in Asia florebat, asianae eloquentiae ratione. Describitur ea accura-

tissime a Quintiliano inst. orat. XII. 10. 16, atque ita quidem, ut Atticae eam opponens hos dicat pressos et integros, contra Asianos inflatos et inanes; in his nihil superfluere, in illis iudicium maxime et modum deesse. Orationis autem differentiam fecisse et dicentium et audientium naturas, quod Attici limati quidam et emuncti nihil inane aut redundans ferrent, Asiana gens tumidior alioqui et iactantior uaniore etiam dicendi gloria inflata esset. Quo cum Quintiliani Ciceronis congruit iudicium in Bruto XIII. 51. „Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes.“ Duo autem genera erant Asianae dictionis: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam grauibus et seueris quam concinnis et uenustis, — alterum non tam sententiis frequentatum quam uerbis uolucris et incitatum, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere uerborum cf. Brut. XCV, 325. Quae dicendi ratio, cum euecta semel e Piraeo eloquentia omnes peragrasset insulas et inde in Asiam transmigrasset, externis oblita moribus, initio erat ea, quae uideri posset laudabilis uelut in Hierocle Alabandeo eiusque fratre Menecele, quaeque efficeret, ut Hortensius utroque genere florens clamores faceret adulescens (cf. Cic. Brut. 326), sed breui tempore ultra fines euagata Augusti aetate tantum abhorrebat a sana simplicitate, ut lasciuius uix fere quidquam posset cogitari cf. Westermann hist. eloq. graec. I. p. 176 et 185.

Haec si fuit eloquentiae species et forma, quae Arellio adulescenti in schola imprimebatur, certe cum Romam profectus latinus rhetor factus esset, eam non mutauit, immo retinere eo magis operae pretium erat, quod ea potissimum aures blandis lenociniis uellicabat, quae tum in omni oratione quaerebantur. Qua de re quae maxime Seneca in ea uel laudat uel ut propria rhetoris profert, nimis cultus est et nitida luxuriosaque dictio. Inde efficitur, ut primo obtutu appareat Fuscii eloquentiam multum distare a Tullio Cicerone, qui aequae contemneret Atticos et Asianos mediamque inter eos teneret uiam, Demosthenem secutus exemplum, egregia praestantem simplicitate; accedere uero ad Cestium Pium eadem schola conformatum, etiamsi ineptiis eius uacaret cf. de Cestio comment. p. 9. Sed hoc cum liceat in uniuersum de Arellio iudicare, iam de singulis quaerentes accuratius eius declamationem explicabimus.

Exordimur autem ab oratione. In qua ante omnia tenendum est Arellium oriundum ex Asia uernacula usum esse lingua graeca, latinam addidicisse. Vtebatur igitur simili qua L. Cestius Pius Smyrnaeus conditione, cuius orationem propter id ipsum latinorum uerborum inopia laborasse testis Seneca est contr. VII. 16. 27. Quae inopia in Arellio etsi non uituperatur, tamen alienae linguae usus, quo opus erat in schola, in praecipuis fuerit causis, cur libentius declamauerit et frequentius graece cf. Sen. suas. IV. 5. Atque fieri non potuit quin, cum lingua latina uteretur tamquam studio demum et exercitatione acquisita, quae in lingua genuina essent nesciret reciperetque quae reperiret in scriptis et orationibus aequalium: priorum enim scriptorum libros certe minus etiam tractauit quam Romani ipsi, quibus

tum uel Ciceronis scripta obsoleta uidebantur et sordentia. Arellii igitur oratio necesse est linguae sit argenteae eamque exprimat eo magis, quod aliam ignorabat. Qua de re si in iis quos prius tractauimus rhetoribus Latrone, Cestio, Albucio plurima protulimus, quae apud aureae aetatis scriptores omnino non, uel apud poetas solos leguntur, plura etiam existunt in Fusciniis declamationibus; utque ex illis haud pauci nouabant interdum et ipsi fingeant uerba, ita Arellius quoque a nouandi studio non abhorrebat. Collegimus quidem diligenter quae occurrebant inter legendum uerba huc spectantia, sed non difficile fuerit alia iis addere multa. Atque prioris generis exempla accuratius inspicienti plerumque uerba occurrunt composita, in quibus lasciuiebat; simplicia enim cum putaret nudiora, ex poetis conquisiuit quae addita praepositione ornatum quendam assumpsisse uidebantur. Huiusmodi uerba sunt: „exasperatus“ contr. I. 3. 3, „superpositus“ contr. I. 2. 5, „inhorreo“ contr. I. 3. 3, „conuulneratus“ contr. II. 9. 6, „euestigatus“ contr. II. 9. 7, „circumerrare“ contr. II. 9. 7, „conserua“ contr. VII. 21. 8, „internascor“ suas. II. 1. Aliae deinde argenteae aetatis uoces existunt: „inquietare“ suas. II. 1, „asperare“ suas. III. 1, „pensare“, cuius loco aureae aetatis scriptores „compensandi“ uoce utebantur, contr. II. 10. 1, „abscisus“ contr. I. 3. 3, „dispendium“ contr. II. 9. 6, „torus“ contr. II. 10. 1, „adiutorium“ contr. II. 13. 4, „tergus“ neutro genere usitatum contr. VII. 21. 7, „cellula“ contr. VII. 21. 8 et Nouata denique uidentur, quae quidem in alio scriptore nusquam reperiuntur, „uitiatio“ nomen contr. II. 11. 4 et „indenuntiatius“ participium suas. II. 2. In ea uero orationis parte, quae ad syntaxin spectat, non minus multa inueniuntur apud Arellium, quae uel poetarum uel argenteae solum aetatis sunt, uel a bonis auctoribus nisi raro non dicebantur, uel denique graecam imitantur elocutionem. Ex his proferenda uidentur gerundia „poenitendus“ et „erubescendus“ adiectiuorum loco posita: „acies poenitenda“ suas. V. 3, „amores erubescendi“ contr. II. 9. 6, „gener erubescendus“ contr. VII. 21. 8; „curare“ uerbum accusatiui cum infinitiuo constructioni coniunctum contr. II. 9. 5, „hoc somnium, quod sic me amittere curas, satis amare non possum;“ „aequum est“ phrasis, a qua pendet ut particula incipiens enunciatio contr. IX. 26. 1, „aequum est ut cum alienis diuidamus liberos;“ in praepositione consilio inseruiens indicando suas. II. 2, „statuta nascentibus in finem uitae dies est,“ contr. I. 8. 2, „ego uero te etiam hortari possum in uoluptates,“ contr. X. 34. 18, „emptum quidem illum in alios usus;“ pronomen possessiuum pronomini personalis locum tenens contr. VII. 19. 2, „desertorem tuum apud patrem inuenies;“ „uno“ datiuus suas. VII. 8, „uno proscriptum saeculo;“ creberrimae quaestiones nullo interrogandi signo posita uelut contr. II. 9. 6, „Quid faciam adoptatus? loquar de filiis eius bene? de abdicatione? Ego in domum uestram intrabo tamquam ego nos abiecerim? ego ornamenta uestra occupabo?“ uel contr. II. 9. 4, „Nos pauperes sumus, qui habemus quod diuites rogant?“ graecam imitans constructio contr. VII. 16. 7, „iratos habeo piratas;“ orationis uariandae studium, quod praeter ceteris admauit Tacitus, uelut contr. I. 3. 3, „praeruptus locus et immensae altitudinis.“ Ad-

denda uidentur ad haec alia quaedam, quae audacius dicta sunt: suas III. 1. „extra iussum dei tutum fuit adultero mare;“ suas. V. 2. „nunc Athenae uincimur;“ contr. II. 9. 7. „multus intra limen heres est;“ contr. II. 9. 8. „quotiens exemplo istam posueritis domum;“ contr. II. 9. 19. „in hoc subicior patri, ut pius sim“ coll. contr. I. 3. 8. „an in hoc seruata sit, ut crudelius periret,“ contr. VII. 22. 13. „in hoc competiui, ut hostium animi frangerentur,“ quam quidem constructionem adamasse uidetur; contr. II. 13. 4. „sic uir et uxor noctes exercebant“ fictum ad Vergilianum illud „diem exercere;“ contr. II. 9. 18. „quid mihi Phocionem loqueris? quid Aristidem? Quid Fabricios loqueris? quid Coruncanios?“ contr. II. 14. 2. „omnia a te uitia;“ phrasis denique a rhetoribus saepissime adhibita „si qua fides est“ contr. VII. 16. 7, VII. 20. 1. Sed iam finem faciamus, ne data opera conquirere uideamur quae minus sunt notanda: prolata certe sufficiunt, unde cognoscamus Arellium haud ita diligenter usum curasse Tullianum, immo recepisse in suum sermonem quae in communem argenteae aetatis usum et linguam erant ascita, neque a nouis et inauditis manum prorsus abstinuisse.

Similis autem est aequalibus etiam eo, quod enunciationum connexus omnino caret bello illo numero, cuius patrem praedicamus Ciceronem: decurrit oratio in singulas plerumque easque breuissimas dissoluta sententias, quae non coniunguntur inter se, sed iuxta positae orationem confringunt. Exemplum iuuabit protulisse e quinta libri primi controuersia petitum: „Non quaero quid optetis: quod seuerissime optare potestis occupo. Necessesse est raptorem mori. Quare? utrique raptae ultio debet contingere. Vtramque non potes ducere, utrique mori potes. Vna pars legis ad hunc raptorem pertinet, in qua mors est. Putate enim utramque nuptias optasse: quid futurum est? in raptoris matrimonium ambitus erit. Putate illum plures rapuisse quam duas: quid fiet? una nubet. nuptiae ad unam pertinebunt, mors ad omnes. quare? dicam. Quod uult, eligat: aut nuptias optabunt aut altera mortem, altera nuptias. Si nuptias optauerint, non poterit fieri quod utraque uolet. uno modo poterit fieri quod utraque uolet, si utraque mortem optauerit: ergo fiat, quo uno duae uindicari possunt.“ Quo loco quot habes enunciationes? plus uiginti. At quot orationis ligamina? uix plus tria inuenies.

Ceterum splendida erat Fusci, ut Asiani rhetoris, oratio et nitida cf. suas. II. 10, contr. II. praef. 1. Neque uero tribuitur ei haec laus sine uituperatione aliqua; additur enim licentiae uel lasciuiae significatio, quae perspiciebatur cum in cultu nimis acquisito mollique uerborum compositione, tum in summa orationis inaequalitate cf. suas. II. 23, contr. II. praef. 1. Erat enim modo exilis, modo nimia licentia uaga et effusa, cumque principia, argumenta, narrationes arride dicerentur, contra in descriptionibus extra legem omnibus uerbis, dummodo niterent, permissa erat libertas adeo, ut nihil acre, nihil solidum, nihil horridum diceretur. Erat igitur quae delectaret iuuenes, fractae compositionis amatores, offenderet autem qui ad seueriorem aetatem erant proeucti cf. suas. II. 23. Qua de re et uituperatur

ab Asinio Pollione, severo rhetorum censore, (cf. ibidem) et abhorrebat ab eo Papirius Fabianus, cum animus eius sanctis fortibusque philosophiae praeceptis se praepararet, nihilque magis ille studebat, postquam ex rhetorum scholis in philosophorum castra transfugit, quam ut separaret se ab ea luxuriamque abiceret cf. contr. II. praef. 1. Cohaecebat cum hac orationis lasciuiam obscuritas quaedam, quam etiamsi in excerptis, quae a Seneca traduntur, minus perspicimus, tamen haud leue Fuscinae orationis uitium fuisse intellegitur eo, quod eam non potuit effugere Fabianus, postquam a magistro recepit. Saepe enim minus quam audienti satis erat eloquebatur, et in summa eius ac simplicissima facultate dicendi antiquorum tamen uitiorum remanebant uestigia. Quaedam tam subito desinebant, ut non breuia essent, sed abrupta cf. l. 1. 2.

Ab oratione uero secerni nequit explicatio, quae ut illa „splendida erat, sed operosa et implicita saepeque confracta“ cf. contr. II. praef. 1. Luxuriosa eadem dicitur suas. II. 23; ac re uera descriptiones eius redundant et uerborum et sensuum mirabili copia explicandique produnt eximiam artem. Quod uero operosum Seneca existimat et implicitum saepeque confractum, idem respicere uidetur suas. II. 11, cum dicit nihil in iis occurrere, quod quisquam alius nisi suasor dilexerit. Negari enim non potest multa in iis esse superflua et altius repetita, multa quae fatigent audientem, multa etiam quae rerum naturae non prorsus conueniant, sed quod dicebantur suasoribus suasoriarumque amatoribus, factum est, ut ad tantam peruenirent celebritatem, ut nemo Senecae aequalium non alius alia inclinatione uocis uelut sua quisque modulatione ea cantaret. Videntur etiam descriptiones potissimum Maecenati placuisse eumque fautorem reddidisse Arellio, quia amabat dulces et splendas et ut ita dicam poeticas sententias cf. suas. III. 5 et infra. Quod uero iis in suasoriis potissimum erat locus, his, ut dicebat libentissime (cf. suas. IV. 5), ita multo etiam magis excellebat Arellius quam controuersiis. Quae describendi ars et uirtus quo possint melius cognosci, freti Pagasaei proferimus descriptionem suasoriae insertam alteri § 1. „hoc mare, quod tantum ex uasto patet, urgetur in minimum, insidiosis excipitur angustiis uixque minimo aditus nauigio est, et huius quoque remigium arcet et inquietat omne quod circumfluit mare, fallentia cursus uada altioribus internata, aspera scopulis et cetera, quae nauigantium uota decipiunt.“ Similis est saxi descriptio praerupti, quae legitur contr. I. 3. 3 „stat moles absca in profundum, frequentibus exasperata saxis, quae aut elidant corpus aut de integro grauius impellant; inhorrent scopulis enascentibus latera et immensae altitudinis tristis aspectus: electus potissimum locus, ut damnati saepius deiciantur.“ Maxime uero quae de descriptionibus Fuscinis docuimus perspicere possunt e suasoria quarta, ubi uatum impugnantur fallaciae et augurum. „Magnus iste et supra humanae sortis habitum sit, cui liceat terrere Alexandrum. ponat iste suos inter sidera patres et originem coelo trahat, agnoscat suum uatem deus; non eodem uitae fine, aetate magna, extra omnem fatorum necessitatem caput sit quod gentibus futura praecipiat. Si uera sunt ista, quid ita non huic studio seruit omnis aetas? cur non

ab infantia rerum naturam deosque qua licet uisimus? cum pateant nobis sidera et interesse numinibus liceat, quid ita inutili desidemus facundia aut periculosos atteritur armis manus? an melius alio pignore quam futuri scientia ingenia surrexerint? Qui uero in media se, ut praedicant, fatorum misere pignora, natales inquirunt et primam aevi horam omnium annorum habent nuntiam, quo ierint motu sidera, in quas discucurrerint partes, contrane deus steterit, an placidus adfulserit sol, an plenam lucem, an initia surgentis acceperint, an abdidit in noctem obscurum caput luna. Saturnus nascentem, an ad bella Mars militem, an negociosum in quaestus Mercurius exceperit, an blanda adnuerit nascenti Venus, an ex humili in sublime Iuppiter tulerit? Aestimant tot circa unum caput tumultuantes deos? Futura nuntiant: plerosque dixere uicturos et nihil metuentes oppressit dies: aliis dedere finem propinquum, at illi superfuere non egentes inutilis animae. Felices nascentibus annos spondederunt, at fortuna in omnem properauit iniuriam. incertae sortis uiuimus enim: unicuique ista pro ingenio finguntur non ex fide.“ Ceterum conferas etiam contr. II. 13. 4 feminam a tyranno cruciatibus distortam, contr. II. 14. 9 patrem luxuriari incipientem, suas. III. I siderum cum agricultura connexum.

Quae describendi ars cum iam per se esset, quae non immerito uideretur uirtus famaeque haud exigua causa, eo magis auditorum cepit animos, quod accedebat poetarum locos in declamationibus et inserendi et suis uerbis circumscribendi studium. Fastidiebant enim illius aetatis homines omnia, quae usitatus dicebantur; rem ipsam significare simplicique modo explicare ieiunum habebatur et aridum, orationis autem artificii uti quam plurimis, uerba ascire ut ita dicam altisona, imaginum quae dicuntur comportare lumina et ornatum, sensusque ponere excelsos in rebus uel humillimis summa uidebatur laude dignum. Cui auditorum uoluntati Arellius saepe morigeratus est et graecos et latinos poetas imitatus, quin etiam gratias referebat Maecenati pro beneficiis eo, quod multa e Vergilio trahebat. Sed quod fieri solet, ut res per se laudabilis saepius repetita et loco alieno in contrarium uertatur pessimeque cedat, Fusco quoque haud raro accidit. Cum enim hic illic Vergilii Homerique locos summis diceret clamoribus ueluti, suas. IV. 4 Aeneidis uersum IV. 379

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos

Sollicitat —

uel contr. I. VII. 14 Iliadis uersum ω. 478

και κῆρα χεῖρας

Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἳ οἱ πολίτας κτάνον υἱας,

aliis locis nimio studio ductus ualde longe petiit has sententias et pene repugnante materia, certe non desiderante inseruit. Saepe etiam cum circumscriberet pedestri sermone, egregie poetarum dicta corrumpebat. Exempli gratia suas. III. 4 ait de luna „quae siue

plena lucis suae est splendensque pariter assurgit in cornua, imbres prohibet: siue occupata nubilo sordidiorum ostendit orbem suum, non ante finit quam vicem reddit.“ Quem locum petiuit ex Vergili Georg. I. 427 seq.; at quanto simplicius et beatius hic dixit:

Luna reuertentes cum primum colligit ignes,

Si nigram obscurem comprehenderit aere cornu,

Maximus agricolis pelagoque parabitur imber:

Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,

Pura neque obtusis per coelum cornibus ibit,

Totus et ille dies et qui nascuntur ab illo

Exactum ad mensem pluuiam uentisque carebunt.

Quod uero sibi ipsi concessit, aegre tulit in discipulis, cum magistri rationem secuti minus belle poetarum uersus ponerent, uelut in auditore illo, cuius pudori parcat Seneca suas. IV. 5.

Aliud orationis ornamentum, quo ut ceteri rhetores utebatur, figuris continetur, quae cum a Cicerone non aduocarentur nisi ut efficacius moueret auditores, rerum grauitatem quodammodo sermonis inusitato genere augens eiusque dulcedine animis blandiens, a rhetoribus ita ponebantur, ut non curarent argumenta, quibus apte imprimerentur, immo bella et artificiosa orationis specie et forma rerum inanitatem et uanitatem studerent abscondere. Quod quidem uituperium etsi minus quadrat in Arellium, quam in Cestium eiusque similes, qui inepte figuras cumulabant, tamen in fragmentis, quae excerpta tradidit Seneca, uix ullam euolueris paginam, quin hoc illud schematum inuenias exemplum. Multa possum afferre anaphorae, antithesis, chiasmi, conuersionis, complexionis climacis exempla, sed sufficiet hoc loco pauca proposuisse. Atque saepissime utebatur anaphora, quam habet contr. I. 1. 16 „Mouet, inquit, me natura, mouet pietas, mouet humanorum casuum tam manifesto approbata exemplo uarietas;“ contr. I. 8. 2 „Quousque in duro iacebis castrorum cubiculo? quousque somnum classico rumpes? quousque cruentus uiues?“ contr. IX. 26. 7 „ego uos expositos sustuli, ego educaui, ego aegrotantibus assedi;“ contr. X. 34. 7 „Pinge Promethea sed homines facientem, sed ignis diudentem; pinges sed inter munera potius quam inter tormenta;“ contr. II. 9. 19 „dico licuisse mihi adoptari, dico licuisse mihi adoptionem recusare, dico, ut non licuerit, recte tamen recusasse“ cet.; rarius reperiuntur aliarum figurarum exempla uelut conuersionis contr. II. 14. 2 „quod unguento coma madet, tuum est, quod laxior usque in pedes demittitur toga, tuum est;“ antithesis simulque complexionis contr. II. 9. 4 „si immerito abdicasti, odi patrem tot eicientem innocentes; si merito, odi domum tot facientem nocentes;“ chiasmi contr. I. 1. 6 „qui alunt abdicantur, mendicant qui non alunt;“ ellipsis contr. I. 6. 7 „quid aliud quam beati seruiemus?“ contr. II. 9. 4 „Vnde talem patrem?“ etc.

